

Copia Literarum à Serenissimo ac Potentissimo Rege Borussiæ ad Regem Poloniæ exaratarum.

Serenissime Sc. Sc.

Acerbum dolorem quo, ob sententiam contra Cives Thorunenses suscitati per Urbem tumultus causa latam affecti sumus, Vestræ Majestati minimè celandum putavimus, neque potuit nobis, nisi luctuosissimum esse, illud Judicium, quo in consortes Religionis nostræ, specie pietatis erga Deum ferro & igne animadveritur, Scholæ eorundem destruuntur, jura denique Civitatis cum maximo detimento Evangelicorum Civium violantur.

Si perduellionis adversus Majestatem Vestram & Rempublicam accusarentur Cives Thorunenses, aut alio, si quod gravius excogitari potest, criminè contaminati in judicium traherentur, nihil profecto decerni in eos gravius, nihil crudelius posset; nunc, cum de poena ejus tumultus queritur, qui ab infima plebe in quosdam nullius numeri Jesuitas excitus, atque ab his ipsis quodammodo auctus & propagatus est, hujus poenæ atrocitatem criminis admisso neutiquam convenire, neque ob paucorum insaniam tot innocentis occidendos urbemque ipsam vastandam esse Vestram Majestati facile paret.

Existimabunt sane omnes æqui rerum arbitri, id quod & per multis indicis in hac causa proditum est, terribilem illam aduersus Evangelicos Cives sententiam non amori Justitiae, sed potius Jesuitarum fraudibus & implacabili in Religionem nostram odio deberi, nec aliam facile occasionem illis magis aptam visam esse, qua non solum privilegiis suis fraudarentur Evangelici Thorunenses, sed, si fieri posset, in reruacione delerentur.

Sed nota per orbem Vestræ Majestatis Clementia minimè probabit iniquum hoc atque intolerabile judicium, neque tot præclarè gestorum suorum gloriam cæde miserorum civium obfuscari, atque minui patietur.

Quam ob rem certò nobis pollicemur, fore ut Majestas Vestræ rejecta priore sententia controversiam hanc ad Tribunal Judicium, ex utraque

utraque Religione delegandorum , juris peritorum pacisque amantium remittat , qui momentis causae denud expensis auditaque , uti par est , reorum defensione ex jure & aequo sententiam ferant , ita confirmatis Urbis privilegiis , tot incolarum & Christianorum innocentium sanguini (quem sitiri crudelitas summa est) parcetur .

Neque vero ingratum esse potest Majestati Vestræ , quod pro cibibus , nostræ Religioni addictis , ut boni Principis officium postulat , intercedimus , quod eò minus negligendum nobis fuit , quo magis jam foedere Olivensi , ut sarta tecta manerent , Thorunii totiusque Prusiaæ Polonicae jura nos in perpetuum curaturos obligavimus ; simile certè pietatis officium ab iis Principibus expectamus , qui ad servanda pacta Olivensia omne consilium atque operam se collaturos esse fidem dederunt .

Exoptatum è contrariò erit Principibus Evangelicis , Vestræ verò Majestati imprimis gloriosum , si Thorunium fatorum iniquitate penè ad incitas redactum ab interitu vindicet , atque calamitates innumeræ , quæ rebus adeò exulceratis imminent videntur , Regiæ auctoritatē avertat .

Commendavimus rem omnem nostro ad Comitia Varsaviensia Ablegato , ejusque Fratri ex Comitibus de Suerin , atque Majestatis Vestræ de re tanti momenti Responsum , quale à Rege tam justo , tam nobis amico , sperari potest , expectamus . Dabantur Berolini die 28. Novembr. 1724.

Ad Regem Poloniae &c.